



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica

Buchanan, George

Argentorati, M. D. LXVIII.

VD16 B 3125

Psal. III. Domine quàm multiplicati &c. Carm. gen. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

De calle recti deuios. nam quum breui
 Sæuiet iniustos contra iusta ira, scietis
 Quàm sint beati spes in illo qui locant.

PSAL. III. Domine quàm multiplicati.
 etc. Carm. gen. 3.

Heu quanta numero uiribusq; factio
 Me uexat odijs impij!
 Quàm perditorum firma conspiratio
 Coniurat in meum caput!
 Et asseuerant spem salutis in Deo
 Superesse iam nullam mihi:
 Quum tu sub umbra præliantem me tui
 Tam sæpe scuti texeris:
 Quum laudis auctor sis meæ, quum gloria
 Meum corones uerticem.
 Quum nocte Dominus inuocantem me, suo
 De monte sancto exaudiat,
 Curis solutus & recumbo & dormio,
 Resurgo liber à metu.
 Domino excubante, nec meum formidine
 Pectus mouebunt agmina
 Numerosa, nec si sæua feritas omnium
 Coniuret in me gentium.
 Tu Domine in aciem ductor, ut me liberares,
 Prodigis: hostium omnium
 Malasque franges, impiorum & conteres
 Dentes potenti dextera.
 At tu, salutis una spes, populum tuum
 Bonitate solita amplectere.